

# The Digital *Viridarium consolationis* Project

## Pars 5: De aliis rebus Caput 16: De penis inferni (2)

Bernardus in libro contemplationum:

Quis, putas, tunc meror erit, quis luctus,  
que tristitia cum separabuntur impii a consortio iustorum et a visione dei,  
et traditi in potestate demonum ibunt cum ipsis in ignem eternum,  
ibique erunt sine fine in luctu et gemitu.

Procul quippe exulati a patria paradisi, cruciabuntur in gehenna perpetua,  
nunquam lucem visuri, nunquam refrigerium adepturi,  
sed milia milium in inferno cruciandi,  
nec unquam inde liberandi, ubi nec qui torquet aliquando fatigatur,  
nec qui torquetur aliquando moritur.

Sic enim ignis consumit ibi ut semper reservetur,  
sic tormenta aguntur ut semper renoventur.

Iuxta vero qualitatem culpe penam sustinebit unusquisque,

nil aliud audietur ibi nisi fletus et planctus gemitus et ululatus,  
merores atque stridores dentium, nichilque ibi videbitur nisi vermes,  
et latebre facies tartaree atque teterrima monstra demoniorum.

Vermes crudeles mordebunt intima cordis.

Hinc dolor, hinc pavor, gemitus, stupor, dolor, horror.

Ardebunt miseri in igne eterno in eternum et ultra.

In carne cruciabuntur per ignem, in spiritu vero per conscientie vermem.

Ibi erit dolor intollerabilis, fetor incomparabilis, timor horribilis,

mors corporis et anime sine spe venie et misericordie.

Sic enim morientur ut semper vivant, et sic vivent ut semper moriantur.

Quis, putas, tunc moeror erit, quis luctus,

quae tristitia, cum separabuntur impii a consortio sanctorum, et a visione Dei:

et traditi in potestatem daemonum, ibunt cum ipsis in ignem aeternum,

ibique semper erunt sine fine in luctu et gemitu!

Procul quippe a beata paradisi patria exulantes, cruciabuntur in gehenna perpetua,

nunquam lucem visuri, nunquam refrigerium adepturi;

sed per millia millium annorum in inferno cruciandi;

nec inde unquam liberandi, ubi nec qui torquet, aliquando fatigatur;

nec qui torquetur, aliquando moritur.

Sic enim ignis ibi consumit, ut semper reservet;

sic tormenta aguntur, ut semper renoventur.

Iuxta vero qualitatem culpae poenam sustinebit unusquisque gehennae,

et similis culpae rei suis similibus jungentur cruciandi.

Nihil aliud ibi audietur nisi fletus et planctus, gemitus et ululatus,

moerores atque stridores dentium: nihilque ibi videbitur, nisi vermes,

et larvales facies tortorum, atque teterrima monstra daemonum.

Vermes crudeles mordebunt intima cordis:

Hinc dolor, inde pavor, gemitus, stupor, et timor horrens.

Ardebuntque miseri in igne aeterno in aeternum et ultra.

In carne cruciabuntur per ignem, in spiritu per conscientiae vermem.

Ibi erit dolor intolerabilis, timor horribilis, fetor incomparabilis,

mors animae et corporis sine spe veniae et misericordiae.

Sic tamen morientur, ut semper vivant; et sic vivent, ut semper moriantur.

Auctor incertus (Bernardus Claraeuaensis?), *Meditationes piissimae de cognitione humanae conditionis*, 3.10 (PL 184, col.491D-492A).